



**Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1725. usque ad annum 1728

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1784**

**VD18 13322648**

§. 16. Embrodunensis Synodus a quibusdam Franciæ Episcopis impugnata.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67667](https://nbn-resolving.de/urn:nbn:de:hbz:466:1-67667)

Sæc. XVIII. „illa jumentis cæterisque bestiis aditus  
A. C. 1727. „pateat, & in omnibus Crux erigatur.“

His decretis præter Archiepiscopum Embrodunensem alii quatuordecim Præsules unacum Diniensis Episcopi paulo antea defuncti Procuratore subscripti legebantur.

### §. XVI.

#### *Embrodunensis Synodus a quibusdam Franciæ Episcopis impugnata.*

Dolebant summopere Quesnelliani, quod Embrodunensis Concilii sententia per L. Advocatorum Consultationem adeo non infirmata fuerit, ut potius inde haud levis infamia in ipsos redundarit, hinc in adinveniendis effugiis fæcundissimi ab Episcopali auctoritate subsidium opemque emendare statuerunt. Nec eorum conatus secundus defuit successus; haud enim ignorabant, quod ex Episcopis nonnulli se Constitutioni opposuerint, & ab ea appellarent, hos ergo utpote ad sui propositi executionem non modo idoneos, sed & admodum proclives sollicitabant Juncto igitur cum his consilio epistolam ad Franciæ Regem consarcinant, in eaque Embrodunensem Synodum atris omnino coloribus depingunt, ac demum ab Episcopis suæ

Sæc. XVIII.

A.C. 1727.

sue factioni addictis illam proprio chi-  
rographo muniri efflagitant. Eorum  
votis cessere duodecim, scilicet Noail-  
lius, Tilladetus Matisconensis, Cy-  
prian-Gabriel Engolismensis, Joachim  
Colbert Montpessulanus, Caylus An-  
tissiodorensis, Franciscus Montalbensis,  
Honorius Castro-Albiensis, Franciscus  
Blessensis, Benignus Trecensis, Lo-  
tharingus Bajocensis, & Caillabotus  
Tornacensis Episcopi. Ex his nonnisi  
undecim jam anni prioris die 28. Octo-  
bris sua apposuere nomina; falso autem  
Noailius subscriptisse fertur. Porro  
ceteri hanc Epistolam die decima quinta  
Martii ad Cardinalem Fleurium trans-  
misere, supplices, ut illam Regi con-  
signaret, suoque patrocinio foveret.  
Obstupuit hic vehementer ad rei in-  
dignitatem; haud toleranda enim vi-  
debatur temeritas, qua Quesnelistæ  
contra Synodum, cuius tamen acta  
nondum inspexerant, insurgerent, plu-  
ra facta omnino falsa pro veris audacter  
venditarent, justitiæ demum leges,  
Sacrosque Canones violenter læsos, li-  
bertatem Ecclesiæ, ac Regni principia  
palam violata, & sacrata veritatis jura  
per Synodi sententiam temere procul-  
cata dolose deplorarent. Horum lite-  
ras Fleurius Regi tradidit, hic vero  
die vigesima octava Martii per Comi-

li 2

tem

Sæc. XVIII. tem Maurepasium Episcopis significari  
A. C. 1727. jussit, Regi, sicut olim ejus Proavo  
 summopere displicere, quod se inscio  
 & invito pauci Episcopi conspirarent,  
 & societatem inirent, nec se fatis mi-  
 rari posse, quod unius Episcopi quere-  
 las pluris haberent, quam quindecim  
 Præsulum sententiam, qua hic una-  
 nimi voce damnatus fuisset, ac insu-  
 per Canonicum cætum, cuius sanctio-  
 nes non modo Pontificia sed & Regia  
 auctoritate approbatas noſſent, im-  
 pugnare præſumerent, quin tamen  
 hujus Synodi acta habuiffent explorata,  
 aut defuper cum Judicibus egiffent, &  
 judicii acta examinassenſt. Hoc Regis  
 responſo minime territi Præſules datis  
 ad Maurepasium literis suam agendi  
 rationem vindicare nitebantur, I aucta-  
 que audacia die decima quarta Maij  
 denuo ad Regem literas dabant, in  
 quibus non modo contra Synodi sen-  
 tentiam, sed etiam adversus Bene-  
 dicti XIII. Breve, quo ea confirmata  
 est, indignum in modum declamabant.  
 Huic epistolæ octo Episcopi subscripti  
 legebantur, qui etiam ad Sanitientis  
 Præſulis exemplum solemnī scripto co-  
 ram Parisiensis Parlamenti Procuratore  
 die septima Martii palam reclamabant  
 adversus omnes literas. Bullas, Bre-  
 via, aut alia acta, quibus ad tabulas  
 re-

redactis in Embrodunensi Concilio gesta Sæc. XVIII.  
confirmarentur, ac insuper speciatim A. C. 1727.  
Romanæ Curiæ literas die 17. Dec.  
1727. editas denuntiabant, eoquod  
hæ præcipuas Ecclesiæ & Regni leges,  
necnon Gallicanæ Ecclesiæ libertates  
funditus everterent &c.

§. XVII.

*Cleri Gallicani Zelus contra hosce  
Episcopos.*

Horum Præsulum ausus Franciæ Rex  
Ecclesiæ ac Regno hand parum  
perniciosos fore veritus, illorum literas  
ceu seditiosas palam detestatus est,  
cunctisque his Episcopis inhibuit, ne  
suis Diæcesibus excedere præsumerent,  
Synodi vero Embrodunensis Patres de  
Regio suo patrocinio adversus omnium  
insultus certiores reddidit: Præterea  
illis, qui tum Parisiis agebant, Epi-  
scopis præcepit, ut deliberatione inter  
se habita Regi suggererent, quid contra  
iniquam Advocatorum Consultationem  
a Regia sua Majestate statuendum cen-  
serent. Hi ergo re maturius pensata  
ad Ludovicum XV. Regem literas da-  
bant, in quibus plurimis argumentis  
luculenter demonstratum ibant, quo  
perversa refractariorum Præsulum prin-  
cipia tenderent, & quam gravia inde  
li 3                    mala